Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2255
Quelle:
Copyright:

Maior nunc ſurſum quanto minor ante deorſum.
Numne tui quidquam vallis habet. oſſa. *quousque.*
Donec celeſte fiat terreſtre cadauer.

Quae in Carminis leges peccant, facile emendes. Exemplum aliud proferendum jam *Lambecius* L. II. p. 886. edit. *Kollar. col.* 785. praecepit. Vide *Indicem.*

XIII. *fol.* 165. p. 2. *Incipiunt monita beati Baſilii epiſcopi ad monachos de pugna contra inimicum.* Initium: *Audi fili admonicionem patris tui et inclina aurem tuam* &c. Plenius Exemplum, quam, quod dedimus alibi, ut in *Indice.* Subſcribitur: *Bozie tobie bud chwala nawieky.* (Deus tibi ſit Laus in aeternum) *Expliciunt Monita beati Baſilij Epiſcopi ad Monachos et alijs quibus placent fidelibus in chriſto anno domini M°. CCCC°. XII°. per Johannem de Proſtieiow* (Proſtanna, Proſtnitz Moraviae) *feria III. ante diem beati Georgij.*

XIV. *fol.* 174. p. 2. *Tractatus beati Bernardi de diligendo deo.* Alia miniata inſcriptio: *Leccio Meditacio Oracio Contemplacio hoc eſt ſcala virtutum.* Initium: *Cum quadam die corporali manuum labore occupatus* &c. Tractatus hic titulo *Scalae Paradiſi* jam et *Auguſtino* tributus majori jure *Guigoni* cuidam *Carthuſiano.* tribuitur, cujus Epiſtolion ad *Fr. Gervaſium* praefert in *Cod.* Carthuſiae *Colon.* Adi *Bernardi* Opera *ſuprac.* T. V. *col.* 311. Codex noſter non niſi Excerpta continet, quae deſinunt: *et ipſe qui non vult mortem peccatoris iterum curabit et ſanabit eum. Explicit libellus Beati Bernhardi de quatuor gradibus ſpiritualibus in quibus perfectio vite continetur. anno domini M° CCCC° XII°. in die Adalberti.*

XV. *fol.* 177. *Incipit tractatus domini Innocencij pape de Clauſtro anime.* Initium: *Anime clauſtrum contemplacio dicitur in cuius ſinu dum ſe recipit animus* &c. Pravis Codicibus *Johannem* noſtrum *Proſtanneſ.* uſum fuiſſe oportet; ita et hic *Innocentio*, neſcio cui, datus eſt Libellus, qui aut ad *Hugonem Victorinum*, aut, quod ſimilius vero, ad *Hugonem de Folieto* pertinet. Inter *Victorini* Opera *Rothomagi* 1648. f. legitur T. II. p. 79. tanquam totius Operis de *Clauſtro Animae Liber* III. atque de eo jam *Codd.* aliis meminimus. In praeſenti definit his c. IX. *de Dormitorio Animae* verbis: *Solue vincula colli tui. tolle grabatum tuum et ambula*, quibus additur: *in pace.*

XVI. *fol.* 187. *Incipiunt Meditaciones beati Anſhelmi Cantuarien.* Praeit minio exarata *Methodus* iis utendi, prout in Edit. *Pariſ.* 1721. p. 102. f. Sed neque hic Exemplar integrum nactus fuit Librarius noſter; orditur enim a *Meditatione* II. quae infit: *Terret me vita mea* &c. Huic ſuccedit III. ſeu *Planctus Anime*

perdita